



pp:



INDEX

Materialem Alphabetico

A.

De Actione { Confessoria } No. 10.
 { Negatoria }
 Appulsus iure 13.
 Animi suppositalitate 44.
 Auctione voluntaria 38.

B.

De Bene merito 16.
 Bodmeria 12.
 Grundbesitz 3.

C.

De Carcere obaratorum 32
 Causis Honorum 2.
 Concordia discordant
 tic Germaniae 1.
 De Confessione 30.
 Confessoria et Negato
 ria Actione 10.
 De Colono Partiaris 20.

D.

Discordantia Germaniae
 Concordia 1.
 De Dono nuptiali 3.
 Deposito miserabili 18.

E.

Eius lallu 5.
 Ein ding 6
 De Exceptione Transacti
 onis 31.
 Creditorum vitii 41.

F.

De Ficta l. q. Traditione 7.
 Foemina non est homo 36.

G.

Germania discordantia
 Concordia 1.

H.

n. Bessert 3.
 De Honorum causis 2.

17.

I. N. J. CH.

De actione legibus proditâ, aut
non prodicta,
aduersus

INGRATOS DISQUISITIO.

De qua

In Inclÿta Argentoratensi Academia

P R A E S I D E

JO. HENRICO BOECLERO,

Historiarum Professore ordinario,
Coll. Philosoph. h.t. Decano,

In solenni auditorio

respondebit

d. Junii

JOHANNES CHRISTOPHORUS WALTHERUS
Rotemburgensis,

ARGENTORATI,

Typis FRIDERICI SPOOR.

Anno M. DC. LX.

Quintil. Mandosig de Inequalitudine Tract. Editit
Venet. 4. 1572. & 1585.

INTEGRALIS
D. M. C. L. X. V.
L. HENRICO BOECLERO
Johannes Christophorus Walthers
Argentorati
Typis FRIDERICI STOR.
Anno M. DC. LX.

I
est
gra
en
m
rel
int
tur
Gr
dif
qu
ri
in
ru
an
ca
v
fa
um
&
vo
ge
e
am



I. N. F. C.
LEX, QVA INGRATI
DATUR ACTIO.

DUplex est huius loci disputatio : Primò, ut de lege, quæ est; deinde, ut de lege, quæ esse potest, aut debet.

In prima quæstione, quando, an sit lex aduersus ingratos, disputatur, iterum ordine incedendum est, ut videamus: an natura, an mos gentium, an jus civile in gratosemendationi & pœnæ subjecerit?

De naturâ, videtur dubitare *Grotius*, quando statuit, *puni. I. B. 2. 20.*
endos non esse actus oppositos virtutibus, quarum natura coactionem omnem repudiat; in quo genere sunt, misericordia, liberalitas, gratia relatio. 20. Non enim de iure civili tantùm loqui *Grotium*, facillè intelliget, qui propositum operis, & disquisitionis huius contextum animaduertit. Sed, si iure naturæ præcipiente continetur *Gratia*; eiusdem iuris auctoritate ingrati damnabuntur, *Cicero* disertis verbis: *Ac natura quidem ius est, quod nobis non opinio, sed quadam in se re offerat. ut religionem, pietatem, gratiam, vindicationem, obseruantiam, veritatem.* 2. de in d. 22. Et mox *Gratiam* describit, quæ in memoria ex remuneratione officiorum, & honorum & amicitiarum, obseruantiam teneat. *Hierocles*, cùm de grato in parentes animo agit, naturæ in ea re parendum, elegantibus verbis indicat: *τὸ γὰρ εὐχαρίστας τὰυτὰ ποιεῖν, ἢ τὸν τῆς ἀπειρίας διασώζει νόμον, ἢ τὸν τῆς φύσεως ἀποδιδοσιν ἕκαστον.* Qui grato animo ista faciet, non virtutis modò legem custodit, sed quod natura iubet officium, implere pro virili parte studet. Quod longè melius iudicant, & interpretantur, qui gratum in parentes animum, etiam diuinâ voce, non inscriptum modò mentibus, sed tabulis æternam legem continentibus denuò promulgatum norunt. *Philo Judæus, de decalog. 8º P. 760.*
ingratos duo apud tribunalia, maxime naturalia, damnari ostendit; impietatis quidem, apud diuinum, quod vitæ post DEVM auctores non

Z.

venerantur; inhumanitatis apud humanum, quod nihil ab iis quisquam speraverit, qui negligunt eos, quibus par gratia referri non potest.

Ex hoc iure naturæ quæ proficiscitur actio, iudicem habet **DEUM**: actores non eos tantum, qui ab ingratis atrociter læsi sunt, sed ipsam quoque ingratorum hominum conscientiam; patronos nullos.

Sed & gentium, quæcunque aliquem civilis moris gustum habuerunt, iudicio, dissociabile nec ferendum visum est ingrati animi vitium. Praclare testatur Cicero: *Quæ autem natio non comitatem, benignitatem, non gratum animum & beneficii memorem diligit? quæ superbos, quæ maleficos, quæ crudeles, quæ ingratos non aspernatur, non odit?* Iulianus Imperator in encomio Eusebiæ: *ἐδιδόξεν γὰρ, ὅτι καὶ τῶν ἀδικῶν ἀδυνατῶν ἐλάττω μισῶμεν ἀχαριστίας, καὶ οὐκ ἐβδίδωκεν τοῖς ἀνδράσι τοῖς, ἵταν εὖ παύοιεν καὶ τοῖς εὐεργέτας ὅτιν ἀχαριστοί.* Neque enim minus quam alia crimina, ingratum animum odio prosequimur, ac exprobramus hominibus, cum accepto beneficio, ingratos se erga bene meritos præbent. Neque alienum est ab huius loci sententia, quod Seneca fatetur, Urbes quoque urbibus, quæ præstiterunt exprobrare; & in maiores collata, a posteris exigere.

Apud hoc tribunal, quod excellentiore significandi genere **humanum** dixeris, sicut prius illud **diuinum**, accusat fama, vel sermonibus vel literis prodita: patrocinium reorum non aliis suscipientibus, quam qui pudore omni abiecto, suam alienamque infamiam amare serio didicerunt.

2 **Civile** tribunal superest, de quo ante omnia, ut diximus, quaeritur, an fuerit certis in ciuitatibus **lex prodita aduersus ingratos**? Respondet Seneca: *Excepta Macedonum gente, non est in vllâ data aduersus ingratorum actio.* At Lucianus in Abdicato diuersum pronuntiat: *καὶ μὴν οἱ γε νόμοι καὶ ἀχαριστίας δικάζουσι διαδοῦναι, καὶ οἱ τοῖς εὐεργέτας μὴ ἀνέχουσι νόμοι.* Equidem leges actionem ingrati dant, contra eos, qui benefactoribus non referunt gratiam. Quem locum, qui de Macedonum legibus tantum veli exaudire, magno se onere obligabit tuenda: lux sententiæ. Iam cum in **Declamationibus** veterum mentio fit, apud **M. Senecam** & alios.

de de. 11.

de benef.
6.

de benef.
6.

rom. i. pag.
490.

illos, legis, ingrati sit actio; quæ lex ad vnam & solam aliquam
ciuitatem non videtur referri posse, nisi quod ad leges Atticas
sæpe respiciunt Rhetores; Seneca iterum exceperit hanc orati-
onem, & in scholis ista fingi à declamatoribus, non reperiri in vi-
ta, dixerit; Vnde & ita quærit: *an hæc lex, quæ in scholis exerce-* 3. de benef.
tur, etiam in ciuitate ponenda sit, qua ingrati datur actio. Sed ne- 6.
que hic Senecam auctorem sequerer, quin existimarem, apud Ci-
cæronem, M. Senecam, Quintilianum, Aristotelem, non poni exem-
pla nisi rerarum legum, quæ reuera aliqua in ciuitate, præsertim
Græciæ (inde enim Latini fere exempla arcessunt) latae fuerint.
Libenter patiar me doceri, si diuersum idoneo testimonio ostens-
di potest. De rogationibus interim non loquor: quas interdum,
ut & suasorias alias, ingenio Rhetoris fingi, non ex historia vitæ
desumi, satis constat.

Consignauit & Gregorius Tholosanus exempla, quæ ex iure *Syntagm.*
ciuili Romano, & aliarum gentium huc pertinent. Vbi nec il- *Tur. Quæst.*
lud omittendum est: quod nulla gens cultior fuit, quin, etiam 39. l. 16.
cum actio legibus non erat prodita, iudicis officio ingrati animi
crimina subiecta cuperet.

Quando autem, *an lex aduersus ingratos ferenda sit*, dispu- 2
tatur: parum vtiq; profecit longa Senecæ oratio, quæ id dislua- 3. de benef.
det. Ingratum enim hæc vnâ re definiuit, si non redderet bene- à cap. 6. ubi
ficium. Et est sanè boni viri, de referenda gratia serio cogitare, quo ad 18.
neque acceptorum beneficiorum vnquam obliuisci. Sed hoc
genus ingrati animi non spectatur præcipuè, cum de lege, quæ in-
gratos coercet, agitur. Cessant ergo omnes illæ quæstiones,
de tempore, & facultate referendæ gratiæ, de æstimatione &
comparatione beneficiorum, de dubitatione iudicis in definiendo
beneficio. Non enim dubia, sed certa & humani generis
sententiâ, definita beneficia spectantur: neque tam, non reddi-
ta, non fideli memoriâ custodita, quàm maleficio pensata, legi
subiiciuntur. Aduersus ingratum, qui lædit eum, à quo indubio
beneficio fuit affectus, lex paratur. Aduersus dissimulatores &
inficiatores beneficiorum, qui sine proposito lædendi scilicet ta-
les esse non possunt, seueritas iudicis quaeritur. Clara hæc sunt,
& exposita in omnium conspectu. Si quid boni mores præterea
damnant,

damnant, etiam si nullâ lege præscripta sit actio, iudicis officium in Republica latius patet, neque vllam morum partem labare finit.

Grot. I. B.
2, 22, 16.

1. offic. 15.

1. Rhetor.

lib. 1. παρ

Quin lege prodi possint ac debeant, quæ ex iustitiâ debentur, nulla est dubitatio. Iustitiæ autem munus esse, gratum animinum, magno consensu tota antiquitas docet. nec aliunde Cicero necessitatem referendæ gratiæ deducit: quæ nullum officium maius esse statuit. Igitur *Aristoteles* maximis & foedissimis iniuriis accenset, quæ ab illo, qui beneficio affectus est, inferitur benefactori. *πλείω γὰρ ἀδικεῖ, ὅτι τε κακῶς ποιεῖ, καὶ ὅτι ἐκ ἐν.* Non simplex enim est iniuria in bene meritos; & quod offendit eos iniuria auctor, & quod gratiam eis non refert. Apud *Xenophontem*, Persarum iudicio ingrati puniuntur, tanquam homines, qui nes Deos, nec parentes, nec patriam, nec amicos curare norint, id est, ab omni iustitiâ plurimum alieni. Quam enim partem iustitiæ curaret is, qui pro bona gratia malam rependit?

ἐν γὰρ τὸ χρεῖσθαι ἐκ ἐποίησ' ἡμερον,
τι δ' ἂν δέσσειεν ἀπὸ τῶν πάντων ποτέ;

in Vir. rom.
2. c. 16.

Quem enim benignitas ex fero humanum reddere non potuit, quod aliud hunc ex omnibus rebus unquam emendauerit: ut rectè ratiocinatur *Gregorius Nazianzenus*. In *Pollucis Onomastico*, ἀδικία & χάρις, in ἑκατόντα dicuntur.

Grot. I. B.
2, 25, 3.

Quod si alia loquendi ratio placet, neque iustitiæ hoc proprium munus, sed alterius virtutis videatur, nemo tamen negaverit, legibus præcipi posse, quæ vlla virtus præcipit. quoque maior est virtutis cuiusdam cum iustitiâ affinitas, eo clarius apparet legislationis materies. Accedat consensio plerarumque gentium, ipsiusque naturæ vox, quæ manifestam iniquitatem indideat, iudicatque: an dubitationi locus supererit, quin in legem ire possit, res ad continendam societatem non civilem modo, sed humanam, tam necessaria?

de benef.
2.

Sicut autem felicius egerunt ciuitates, vbi ingratos posita lex coercuit: ita sæculi mala non modice augentur impunitate huius criminis, quo non est aliud humanæ societati inimicus. Frustra nobis *Seneca* occentauerit: pauciores fore ingratos, si nulla decur

detur actio, maiore enim delectu daturum iri beneficia, nec expedire
notum omnibus fieri, quam multi ingrati sint; ne ipsa multitudo pu-
dorem minuar. At ille delectus fingitur, non monstratur. in qui-
busdam beneficiis nihil licet iudicio beneficentium, quod in
parentum exemplo agnovit Seneca. Sic præceptor de omnibus cap. 11.
discipulis bene meretur; non licet, huic dare, illi negare bene-
ficium. Qui sanctissimis Christianæ religionis legibus viuunt,
si vident, indigere beneficio alium, vindice, altore opus habere,
non deliberant aut diuinant, quo ingenio sit laturus beneficium,
an grate ingrateve habiturus. Neque cuiquam sua benignitas
à sincero profecta animo, fraudi esse debet. Male porro metu-
itur, ne detegat lex multitudinem peccantium, & inultam præ-
stet. Lex sui ipsius vindex est, cuius defectum non ingratos tan-
tum multiplicari, sed plurium exempla scelerum pullulascere,
nimis quàm certum est. Imperitum dixerò Reipublicæ, & mo-
ris humani, & sæculi, qui non videt, pauciora fore alia crimina,
si pauciores ingrati fuerint: vnusq; legis aduersus ingratos mu-
nimento, ceteris suam auctoritatem duraturam.

Magis intelliguntur ista, si quæ apud Rhetoras de actione
ingrati disputantur, paululum excutiantur. Annotauit M. Se-
neca hanc controuersiam: Torta à tyranno vxor, nunquid de tyran-
nicidio scires, perseuerauit negare. postea maritus ejus tyrannum oc-
cidit: illam sterilitatis nomine dimisit, intra quinquennium non pa-
rientem. Agit illa ingrati. Pro vxore, compendio dicuntur illa
Hisponis Cornelii: Duplici beneficio vxori sua obligatus erat maritus:
& quod non est occisus, & quod occidit. Fastidit sterilem, qui fecit.
Sterilitas enim vel adhuc incerta est, & tum valent illa: non re-
sponder ad propositum, nec ad certum diem secunditas: vel ita colli-
gitur; non potest parere mulier, quia torta est; & tum bene respon-
det: marito; imputat tibi, quod publicata est, imputat tibi, quod
torta est, imputat tibi, quod sterilis est. Quamquam de sterilitate
accuratius Bureo egit: primum, non omnes posse dimitti, si quin-
quennio non peperissent; deinde, hanc non posse dimitti. -- Al-
quod, inquit, tempus impune à legibus miseria faciunt. Non dico, quia
torta est, sed hoc adhuc, propter aequitatis tractationem referuo. Sed
non peperit, quia tu (maritum alloquitur) maxima in cogitatione
occupatus,

6.
acceptus, nihil de liberis cogitasti. Neque de nihilo fuit sententia Albutii Sili: qua ingratum notat maritum, cum uxorem tam bene meritam repudiat: *Res tuas tibi habe, iniicere debuit matrem, & ipsum inter res suas trahere. nihil amplius patri debes quam uxori. mihi crede, maius fuit, tyrannicidium pati, quam facere.*

Callido autem oratori, quam viro bono magis conveniunt, vsuque & consuetudine fori, ubi nihil non excogitatur aut arripitur ad defendendum etiam malam causam, non honestate actionis ac boni moris disciplinam aestimari debent, quae ad negandum, dissimulandum, extenuandum beneficium pertinent. Talia sunt illa Laeronis: *Etiamsi scisti de tyrannicidio viri, nec indicasti, non est beneficium scelus non facere.* Et Gallionis aliorumque quaestiones: *An inter viros & uxores data beneficia, ingrati lege reneantur. Non est beneficium, sed officium, facere quod debeas: ut, si filius patri se dicat beneficium dare.* Et Fabiani, qui alio quidem instituto se ab importunitate Gestii remouit, sed in uxorem tyrannicidam iniquus fuit in illis: cum introducit maritum ita agentem: *se & cogitasse tyrannicidium, & uxori indicasse; & illam tum quidem fecisse, quod probam faminam facere oportuit; nunc peccare, quod putet beneficium esse recte facere.* Et: *si beneficium putaste dedisse, quod tyrannicidium non prodidisti: ego prior dedi, qui tibi tyrannicidiam credidi.* Neque cum L. Vinicio de hoc Fabiani colore dixerem, *uxorem mutam effici.* Si olim de tyrannicidio cogitavi, honestior sum vetus tyrannicida; & non privatis, sed publicis malis ad ultionem impulsus. Si, cum cogitarem, non celavi uxorem, facilius persuadebo, *me malum hodie maritum non esse, cui semper tam deditus fui.* Ad ultimum hoc consequar; Si quod audierat, tacuit, non beneficium est, sed fides. Fides est, tacere commissa: sed in fide beneficium, quod torta tacuit, quod instrumenta saevitiae, quibus etiam virorum animi franguntur, sustinuit, nec virum prodidit. Est officium, facere quod debes. Sed officii sensum dolor expugnat, & immanis crudelitas. Quis est, qui nolit ignoscere mulieri, saevissimis cruciatibus exagitatae, si victa doloribus, falsa esset tyrannicidium viri? Caeus & surdus ad omnem honesti aestimationem fuerit, cui illustratus tormentis gratus ac beneficium animus, adhuc in obscuro positus, & quaerendus videtur. Et quae illa

illa importuna philosophia: in officio non esse gratiam? **Quid** quid liberi erga parentes faciunt reuerentiâ, amore, obsequio, operâ, officio ea omnia tribuuntur: sed officio nimirum, quod totum grati animi descriptione continetur. Intelligitur grati animi honestas comparatione eorum, qui negligunt; demonstratur inter impedimenta & obstacula, illuminatur temporibus, locis, casibus. Dic eadem opera: non est virtus, scelus non facere. At, cum ad scelus vocant illecebra, invitant præmia, trahunt minæ; virtus est, abstinuisse placitis bonis; non spe, non metu ad peccandum, impulsus esse. **Quid** porro sibi vult, qui dicit: prior dedi beneficium, credendo tuæ fidei tyrannidum? An statim, qui de alterius fide præclare sentit, beneficium ei dedit? & quid simile habet commissum sponte arcanum, cum silentio inter tormenta inuisito? Etiam sic laudas vxorem, & te accusas. Quam pulcre enim beneficii responderit illa, fateris: & quam iniquus ratiocinator gratias sis, contra communem hominum sensum comparans diuersa, imputans minora, vltro manifestas. Corruptis imo beneficii, quod tu figuras, fidem, neque pateris homines credere, te vnquam vxori deditum fuisse, cui post tanta virtutis experimenta & in vxoris merita, non modo non deditus, sed infestus esse potuisti.

At *Latro* tibi iterum patronus adest, ut dicas: *Etiam si dedit beneficium, recepit. Occidi tyrannum; libertatem mihi, tibi vltionem reddidi plenissimam: persecutus sum nefarium hostem, illum occidi, vbi torserat. Dices, me Reipublica causa fecisse. Et tu Reipublica causa tenuisti.* Imo tu, si rempublicam amares, beneficium reip. ab vxore datum amasses, grate habuisses, magis eo letatus esses, quam si tibi datum foret

Sed profecto, & Reip. & tibi datum est, tibi datū est, ut posset Reipublicæ dari. Et, quanto fuit magis arduum, quod vxori tibi & reipublicæ dedit, quam quod reipublicæ dedisse te ais? Ad tyrannum occidendum conuerso, occasio, facultas, instrumenta perficiendi operis, spes successus, præmia, animos & vires addiderunt. Huic omnia aduersa & infesta; nec, præter animum, quicquam liberum. Quanto facilius est, facere eadem, quam pati omni cæde tristiora? **Præterea, cuius est illa hominis vox,**
qui



qui sic agat: dedisti quidem beneficium, dira & acerba sustinendo meâ causâ; sed dum auctor eius acerbioris meâ operâ iacet, nulla ultra beneficii tui, quod recepisti, æstimatio, nulla memoria? Quin vniuersam gratiæ rationem in compendium mittis, & cum ciuibus tuis omnibus & singulis, imo cum ipsa ciuitate & patria sic contendis: Liberaui vos omnes à tyrannide; eademque operâ, quicquid beneficiorum vobis debui, persolui: nemo posthac à me ullam publice priuatimue gratiam expectet aut recipiat. cessent semel & simul omnia necessitudinis pristinæ nomina: vnusque virtute facti cuncta officii in posterum vincula aboleantur.

Illud prorsus à fide faciendum alienum est, cum inducitur maritus: *ne scisti quidem tyrannicidium, non enim tibi indicavi, nec tam magnum consilium, virilibus quoque, animis graue, commisi multibri garrulitati: qua id solum potest tacere, quod nescit.* Recte enim à Fabiano & Vinicio respondetur huic instituto: *Dixerit, cogitasse quidem se de tyrannicidio ante tormenta, sed vxori non indicasse: augetur vxoris beneficium. Liberius enim potuit tyrannicidium indicare, quod illi commissum nox erat. Potuit enim vxor, etiam non indicante marito, tam magni consilii molitionem deprehendere. Cestii quoque color, quem pro viro introduxit, nihil habet sani: Quo tempore vxor torta est, nihil adhuc de tyrannicidio cogitabam: postea cogitavi, & hac ipsa cogitandi causa fuit, vxoris vltio. Virumque secutum est, ut illa marito insolentiâ imputare nox posset, maritus illi tyrannicidium posset. Leuiter excussus hic color, euanescit; siue facti fidem spectemus; siue causæ utilitatem. In fide facti, & serie negotii, utique apparet, & aliquid de tyrannicidio cogitatum, de quo tyrannus usque, eo suspicatus est, ut torqueret. Ita parum inter se congruentia dixit Cestius: sed & contra rationem & utilitatem causa. Si dixerit enim, post tormenta se de tyrannicidio cogitasse, tum tyrannicidium vxori melius deberi meruit, si torta tyrannicidam fecit, quàm si tacuisset. Maximam scilicet gloriæ, qua tantopere gaudebat, partem vxori debuisset: ingratiq; animi crimine denuo se per repudium alligasset. In his, quæ ex licentia potius causidicorum, quàm ex vero & bono pro ingrato marito allata sunt, Hispo Romanus, iudice ipso M. Seneca, maligne & accusatorie:*
Nihil,

Nihil, inquit, ego isti narraueram: ista, ut erat necesse, aliquid ex vultu, aliquid ex nocturnis vigiliis suspicata est. Vnde manauerit sermo, scitis. Videtis, quo veniat tyrannus, non ad amicum meum, non ad seruum: sed ad istam, qua nihil negotii habuisset, si tacuisset. Ita enim causa tacuisti: sciebas te perituram, si confessa esses tyranniciduum. Fecit maritum ipso tyranno crudeliorem; qui post silentium tormentis impenetrabile, garrulitatis arguit vxorem, & ne tyranni quidem testimonium reueretur.

Non caret ratione oratoriâ *Pastieni* sententia, qui putabat, recte facturam, si haec mulier iniusti repudii ageret, non ingrati. *Albuius* autem decentissime, prius egit iniusti repudii, deinde ingrati. Vt enim crimina geminantur, ita amplificatio in primis valida est, si accedentis vitii turpitudine, in partem actionis transferatur. Sic injuria parentibus, praceptoribus, hospitibus facta, praeter nomen proprium, ingrati animi crimine, vbique terrarum gentiumque notari consuevit.

Honestissima autem est in hac causa *Pollionis Asinii* ratio, qui nunquam tentandam esse iudicabat illam quaestionem, qua negamus, nos beneficium accepisse. Perit, inquit, tota causa, nisi in hoc vicit. Apparet enim, ingratum esse, qui ne fateretur quidem, se accepisse beneficium. Veritatem huius sententiae, grauius adstruit *Declamator* alius, cum praecipit: Et in totum hoc seruare in omnibus ^{Quintil.} _{declam. 338} ^{sermon.} controuersus, qua ingrati lege continentur, debemus, ut hi qui rei sunt, in ipsa actione ingrati non sint. Raro valde interuenient controuersia, in quibus hoc quaratur, an is, qui ingrati reus est, accepit beneficium. Pleraq; diuertunt eo, ut quaestiones habeant: an, qui quis accepit beneficium, & non reddiderit, ingratus sit: an omnia, quaecumq; exigebantur, praestare debuerit? an potuerit? Sed de his quaestionibus postea. De facienda controuersia ipsius beneficii praclare, & solide philosophantur, quos laudauimus: neque comparari huic grauitati possunt, quae *Gallio* & *Attico Vipsiano* de consuetudine fori, & caussidicorum artibus annotant.

Vidimus exemplum actionis ingrati. Vbi haud dubium fuit rei crimen: neque vlla honesta defensione velandum. Pona-
mus aliud, quod haud a que reum premit, ex *Declamationibus Fa-*
bio Quintiliano attribuit. Leges; Patronum optare liceat. Et: ^{declam. 338.}

ingrati sit actio. Controuerfia: Adolescentem dives pauperem impensis suis Athenas misit. redit ille disertus. Dedit diuitem quidam reum prodicionis, & optauit patronum pauperem illum, qui diuitis impensis profecerat. Egit pauper, non tenuit. Accusatur à diuite ingrati. In hac caussa, si liberum fuisset adolescenti, aduocationis officium præstare actori, aut denegare, non parum suspicionis in eum trahi potuisset. nunc legis auctoritate patronus optatur. Vnde postea: *Habebat jus optandi patronum, & hanc leges dederunt potestatem.* Et: *Lex optandi patronum jus dabat: me delator optauerat. doce quid faciam. Delator ius habet.* Contra omnem meam deprecationem publica auctoritas nititur. -- non igitur obicere debes, in quod coactus sum. Annon & caussa excusat patrociniū? proditio enim, etiam in parente abominanda, & vindicanda est. Aduocationem negare contra reum prodicionis non debui, fortior aliquis diceret. Oportebat non deesse legibus vocem, oportebat esse aliquem, qui in summis rei publicae, ut cum videbatur, periculis, excuteret veritatem. Itaque, si argumenta prodicionis insignia fuerunt, excusari potuit susceptum actoris patrociniū, etiam si liberum fuisset, denegare. Sin dubia & suspecta indicia criminis, nec sincera voluntas deferentis, merito beneficij memoria retrahere adolescentem debuit ab accusatione bene meriti. Sed moratus est in primis sermo Rhetoris, qui præmittitur: *Intelligitis huic adolescenti cum summo respectu diuitis agendum: ita demum enim videbitur, id quod fecit necessitate fecisse, si de illa queretur.* -- Ergo, quod ad meum consilium pertinet, hic inuitus egit: ea, quae dicenda accepit, pertulit. In tractatione erga ipsa, statim ab initio, maximum se beneficium accepisse, quod sibi consummare studia contigisset, fatetur; fortunam accusat, cuius potestate factum sit, ut mallet omnem usum loquendi perdidisse, quam cum homine de se optime merito iam bis consistere. Subinde: *accepi beneficium, quantum maximum dare parentes liberis possunt.* -- huius liberalitate, huius opibus, peregrina studia, clarissima exempla, otium, quo plurimum studiis confertur, sum consecutus. --- *accepi pecuniam, votum, spem futuram in posterum vitae.* -- *accepi beneficium, ne illud quidem insciabor, non reddidi.* Non tamen continuo sequitur, ut ingrati lege teneatur, qui acceptum beneficium nondum compensauerit.

alioquin

alioqui nemo est, qui non calumniae genus possit incidere. Describitur postea necessitas, de qua dictum est; moderatio in actione, vocis, vultus, nihil asperum, extra causam; propositum grati in posterum animi, & confessio debiti.

Ponitur & illud actionis, de qua agimus, exemplum: *Cimon* *Controv.*
ingratus Calliae, apud *M. Senecam*. Leges: Adulterum cum adul-
 zera qui deprehenderit, dum vtrumq; interficiat, sine fraude sit. Et:
 Ingrati sit actio. Thema: *Miltiades* peculatus damnatus, in carce-
 re alligatus decessit. *Cimon* filius eius cum sepeliret, vicarium se pro
 corpore patris dedit. *Callias* dives, sordide natus, redemit eum a re-
 publica, & pecuniam solvit, eiq; filiam suam collocavit. quam ille de-
 prehensam in adulterio, deprecante patre occidit. Ingrati reus est.
 Leges verae sunt: exemplum fictum. In hac controuersia me-
 rito ille color & *Gallioni* & *Larroni* & *Montano* placuit, ut nihil in
Calliam diceretur contumeliose, & redemptorem, & socerum, & in-
 felicem. Vnde non Cestii tantum improba est sententia, qui mul-
 ta in auarum, & infeneratorum, & mensularium, & lenonem dixit,
 dum vult illud probare, reddidisse *Cimonem* beneficium, quod ta-
 lem socerum habere sustinisset: sed & *Iunius Bassus* ferri nequit,
 cum pro *Cimone* dicit: *Callias* filiam uxorem duxi. hanc tibi pater
 injuriam feci, dum ingratus esse nolo. Beneficium potro *Calliae* *Porcium*
 maligne interpretantur, qui disputant ex persona *Cimonis*: *Vi Latio*.
audiri esse, qui pecuniam numeret, miratus sum, fuisse in ciuitate no-
 stra quenquam, qui *Cimonem* redimere quam *Miltiadem* maluisset.
 Ego ne patrem quidem meum, nisi innocens fuisset, redemissem. Et
 qui illas quaestiones fecit: an si sua causa fecit hoc *Callias*, ut re-
 dimeret *Cimonem*, an sit beneficium. *Niger*
Brutidius. Et qui illas: an acceperit beneficium
 non petiuit? Nam *Hispomis Romani* stolidè dura est quaestio: An
 retulerit gratiam hoc ipso, quod occidit. Figura tolerabiliore, sed
 non satis proba *Montanus Votienus* quaerit, an gratiam retulerit
Cimon *Calliae*. *Tuli*, inquit, filiam tuam uxorem, filia tua *Miltia-*
du nurus facta est. non putas beneficium, habere communes cum *Mil-*
tiade nepotes? *Gallio*.

Loci huius controuersiae sunt vel pragmatici, vel pathetici:
 quorum illi ad ius, hi ad aequitatem pertinent. In pragmatico

genere Cimon vincit hac ratione, quod ingratus non censetur, qui beneficio se ad patientiam rei inhonestæ obligari nec putat, nec patitur. Quo pertinet illud Montani: *Certe beneficium reddam, cum tam honestum desideraris, quàm dedisti. Ego adulteros dimittam? quid aliud facerem, si alligatas haberem manus?* Et: *Arrellii Fuscii: Ferrum à lege mihi traditum, ad vindictam pudicitia: proiciam?* Et ex Quintiliano: *non potest videri severitas, non crudelitas, qua per leges venit: occidere adulterum licet cum adultera. In pathetica tractatione illam æquitatis quæstionem pro Cimone Latro movit: an, si affectu & indignatione ablatas, non fuit in sua potestate, ignoscendum illi sit?*

Declam.
277.

M. Senec.
controu.
4.24.

Contra Cimonem pro Callia, pragmaticum est, si dicatur: dixeram esse rationem eius quod lex iubet, & quod permittit. Non oportere statim fieri, quod licet facere. Permisit tibi, Cimon, lex uxorem interficere, non præcepit. Quo minus vtereris eâ licentiâ, memoria beneficii, preces soceri, ipseque conspectus & interuentus eius, te morabantur: si quid humani in te esset. Tunc non donares patri filiam, qui tibi & libertatem & vitam, in vinculis morituro, donavit? Non petitur à te stuprorum patientia. potuisti abigere tuo matrimonio, quam male iunctam expertus es. Satis existimationi tuæ consuluisse, carnificis officium occupare, etiam si lex indulget, furor est, non ratio: quid, in oculis parentis filiam interficere? beneficium maleficis rependere? beneficii auctorem viuum, videntem, præsentem, deprecantem negligere, reiicere, lædere? Nam in pathetico genere, omnia æquitatis, & miserationis nomina & momenta Cimonem pro Callia interpellant.

Iam antea dictum est, quædam in hac controuersia, importunius mota esse, in quo genere fuit illa Gallionis quæstio: *An teneatur is, qui beneficium acceperit, quod non petiuit? Non rogauit, inquit, te, dedisti istud iactationi tuæ, putas ad gloriam tuam pertinere.* Crebra sed improba ingratorum cantilena. Quædam non rogantur, desperatione impetrandi: quædam dubitatione, vnde rogandum sit: neque ab ignotis, nullaue familiaritate perspectis facile beneficia petuntur: quibusdam desideris, quo minus proferantur, ipsa obstat rei magnitudo. Quis ingentem pecuniam

pecuniam summam, libertatem, vitam ab eo postulare aufit, quem nullo vſu habuit amicum? Quis in vinculis ſocerum quærit, cui prius oneri, quàm vſui ſit? Quædam miſeria includunt vocem non laxant. Tunc, quod glorioſiſſimum eſt in beneficio, in contrarium vertes, præueniſſe preces inopis, ſpectaſſe neceſſitatem, non expeçtaſſe vocem? Ita honeſtiſſimæ voluntatis gratiam perdet, qui humanitatis priorem, quàm hominis rationem deduxit? *Gratiſſima eſſe debent beneficia parata, facilia & occurrentia, vbi Seneca 2. de benefi- & 20* nulla mora fuit, niſi in accipientis verecundia. Optimum eſt, ante eſſe deſiderium cuiuſq;: proximum, ſequi. Illud melius occupare, antequam rogemur, quia cum homini probo ad rogandum os concurrat & ſuffundatur rubor, qui hoc tormentum remittit, multiplicat munus ſuum. Ita ille, qui beneficium docet dare & accipere. Et mox: ideo diuinanda cuiuſq; voluntas, & cum intellecta eſt, neceſſitate grauiſſima rogandi liberanda eſt. Qui hoc fecit, ille, quod in beneficiando ſummum eſt, fecit. Quàm fuerit itaq; nequam, qui neget beneficium datum, quod non petenti datum eſt? *At enim uero, inquit, iactationi ſua hoc dedit, qui mihi beneficiſſe voluit videri?* O te ingratum, qui beneficio manifeſto affectus, adiutus, ſubleuatus, de beneficii auctore male opinaris, nefarie ſuſpicaris! Quod ſi plane tibi de eius ambitione conſtaret, æquiſſimum erat, ut quantum tu accepiſſes, reputares, non quàm bene ille dediſſet. Auferetur ex vita hominum res pulcerrima, beneficiendi ſtudium, ſi liceat in alienis beneficiis curioſum eſſe, & maligne interpretari animum beneficientis. Quid enim erit, quod non vellicare poſſit malignitas? Scilicet, cum de accipiendo beneficio agitur, tum vero ſine anxia deliberatione omnibus in promptu fuerit illud Poëtæ:

Abſque cuiuſ homine, cum eſt opus, beneficium accipere gaudcas. Terent. Adelphi 2, 3, 1v

At vbi de habenda gratia quæritur, in Platonis rem publicam credo eatur, & ſapientium regulæ conquirantur, an beneficium recte atque ordine datum ſit, an nihil in dantis animo aut arte deſiderari poſſit. dum modo conſtet, eos, qui ita dubitant, nullo modo recte accepiſſe beneficium; prauumque in ſeipſos exemplum ſtatuere. quî minus enim accipiendi, quàm dandi beneficii regula & ratio ſit? Nec

Nec melioris notæ est, illud estugium, in quo Nigri Brutii ingenium desudavit: Beneficium est, inquit, quod totum eius causa præstatur, in quem confertur. Vbi aliquis ex eo aut sperat quid aut præparat, non est beneficium, sed consilium. Improbe hæc dicuntur: malignique & suspiciosi animi non obscurum habent
de benef. specimen. Quanto verius, & rectius Seneca? Non sum tam iniquus, inquit, ut nihil ei debeam, qui cum mihi vilis esset, fuit & sibi. Non enim exigo, ut sine respectu sui mihi consular. Imo etiam opto, ut beneficium mihi datum, vel magis dari profuerit: dummodo id qui dabat, duos intuens dederit, & inter me seque, dtriserit: licet id ipse ex maiore parte possideat, si modo me in consortium admisit, si duos cogitavit: Ingratus sum, non solum iniustus, nisi gaudeo hoc illi profuisse, quod proderat mihi. Summe malignitatis est, non vocare beneficium, nisi quod dantem aliquo incommodo affecit. Subiicit memorabilia exempla, & repetit sententiam malignæ descriptioni Brutidii oppositam: Non sum invidus beneficii interpret, nec desidero illud mihi tantum dari, sed & tibi. Alia quæstio est, si totum sibi præstitit alter, quod fecit, totum sibi imputavit. Sed an istud factum sit, raro ad liquidum deduci potest. pleraque ambiguaræ estimationis sunt: in quibus, si homo quidem es, humanior debet apud te valere interpretatio, ut credas, tibi quoque datum, de quo dubitatur, an sibi tantum dederit, qui fecit. Denique, si planius tecum agi vis, noli, quæso, caussidicorum strophas sanctissimis boni moris legibus obvertere.

Sed illa quidem de Cimone ficta est controuersia. aliud enim traditur à Nepote, & Plutarcho, in eius vita. Ex recentiore
lib. 5, cap. 3. historia memorabile est, quod Baptista Fulgosius consignauit circa nuptias beneficio parandas. Rolandus Petri Sicilia Regis frater, à Roberto Neapolitano Rege bello nauali captus tenebatur. cumque frater eius parum de redimendo eo cogitaret (quippe qui ignauia amissam classem ægre ferret) Comiola Senensis, Messanæ agens, vidua & flore ætatis, & ingenti opulentia insignis, misit, qui captiui animum explorarent: ducturusne uxorem foret puellam, cuius liberalitate, miserias carceris euaderet. Tam enim uerò Rolandus, ut diuinitus missam opem exosculatus, prolixè polliceri capit. Stabilito igitur per procuratores patri-

patrimonio, Comiola duobus auri vnciarum millibus sponsum redemit. At ille Messanam reuersus, & pactas nuptias inficiatur, neque vllam pro beneficio gratiam debere vult Comiolæ: tanquam longe infra generis regii splendorem destituta. Conuincitur apud tribunal ecclesiasticum, amicorumque & propinquorum obiurgationibus, ut denuo animum matrimonio applicaret, adactus, in solennem congressum, velut pacti repetendi caussa, venit. Ibi coram omnibus Comiola, cum sua beneficia commemorasset, ingratumque & perfidum eius animum notasset: ego vero, inquit, vltro nuptiis renuntio, neque, ut cum tam ignauro & ingrato homine ætatem agam, æquum existimo; atque adeo ex hoc die Deo pudicitiam meam vna cum opibus confecro. Ingrati à quouis iudice dammandus, adhuc hodie facto puellæ arguitur, atque infamibus exemplis accensetur.

Similior ficta de Cimone controuersia: est historia Philippi Mariæ Ducis Mediolanensis, qui fraternis odiis ad summum *ap. eund. Fulgof.* rerum omnium discrimen redactus, beneficio matrimonii se expediuit. *Facinus enim Canis*, Dux copiarum eius, mortem sibi imminere cernens, non aliud, inquit, O Philippe, rebus tuis remedium superest, quàm si me extincto, vxorem meam matrimonio tecum coniungas. ita & gratiam militum tenebis, in quibus unica spes; & opibus meis luculentis sane & amplis, ad constituendum tuum statum vteris. Successerunt ex voto consilia. Sed ingratus animus nullo merito mutatur. Disparem vxoris ætatem grauatus Philippus, ut scelere exiret, quod incolumitatis suæ caussa iniuerat fœdus, ficto lesi pudoris crimine miseram perculit, peractisque iudicii imitantis, clam interimi iussit. Quid non ingratus animus designat? Sacra matrimonii, fidem coniugum, pactosque hymenæos, impetu rumpit, & ex Principe, tyrannum, ex homine bestiam facit.

Tu quoque, decus fœminarum Amalasinthæ, cuius animum non arma, non astutiæ inimicorum fregerunt, beneficia tua exitio dederunt. Theudatus erat, quem iudicio conuictum, & inique rapta restituere iussum, dimiserat, & ad bonam fugem rediturum sperauerat Amalasintha. Addit clementia munus incomparabile; mortuoque Atalaricho filio successorem destinat.

kinat. Ita & macula prioris iudicii eluetur, inquit; & Theu-
derici nomen, cui sanguine proximus es, in te honorabitur. Sed
iureiurando sanctissimo confirmabis mihi, te contentum imperii
nomine, nihil de ea, quam hactenus tenui, potentia diminutu-
rum esse. Iurat conceptissimis verbis Theudatus, qui nihil magis
interim animo, quam iniquam ex priori offensione iracundi-
am flagitiosa perfidia vlcisci, agitabat. Statim enim, ut adeptus
est, quæ concupiuerat, cuncta promissis contraria facit: Ama-
lasuntham carcere primum concludit, mox interficit. Accessit
non minus scelus, sceleris dissimulatio: quasi nolente ipso, adeo
lib. 1. Gorb. non probante, peracta cædes foret. Procopium adi, diligenter
ista memorantem. Quid hic obiiciant Amalasinthæ, ingrato-
rum patroni? Prudentius, dicent, eligere debuit, cui beneficium
daret. non debuit, salutem suam homini, quem offensum sciebat, com-
mittere. Non minus flagellant Theudati facinus, quam virtu-
tem Amalasinthæ laudant, qui ita cauillantur.

Quare nec inuentus est olim tam improbus caussidicus, qui
vel fictæ controuersia hunc colorem inducere auderet. *Quin-*
lib. 7. in sicut *an. 4.* *ilianus* certe cum in actione ingrati, annotat, unde moueri pos-
sint iuris cauillationes, hæc tantum ponit: an is, cum quo agitur,
acceperit beneficium: quod raro negandum est. ingratus est enim,
qui negat. an, quantum acceperit, reddiderit: an procius, qui non
reddiderit, ingratus sit; an potuerit reddere: an id, quod exigeba-
tur, debuerit: quo animo sit. Nemo tam impudens fuit, qui in-
sultaret casibus humanis, & diceret: collocasti sane beneficium,
sed apud offensum. Iterum insurgent: frustra quidem in foro
talia expectari, quæ rei causam iniustam, actoris honestam facerent.
Sed in animis omnium, non tam certum tribunal insidentium, quam
in toto orbe mores humanos arbitrantium, prudentiam eius desidera-
ri posse ac solere, qui ingratos nec immerito suspectos beneficio affecerit.
Tristem de mortalitate sententiam ferunt, qui ita iudicant: neq;
ratione arguunt humanos errores, sed, ut dixi, casibus humanis
insultant. Quibus occinenda est grauis apologia Gregorii Na-
zianzeni: cui & ipsi temere exprobratum est, quod Maximum
(hic ut Iudas à præceptore deficiens, ex intimo amico acerbissi-
mus hostis factus erat) laudasset, prouexisset, beneficium suis
dignum

dignum iudicasset. Si ego, inquit, benignum in illum, ideo accusor, ^{apud Gregor. Presbyter. in vita} quod prauitatem eius non praeiudi, quid tandem hominis fuerit, qui pro benignitate, quam expertus est, maximam insidiam in me instruit? neque enim praeiudicasse improbitatem, crimen habet (solus id DEVS potest) & nobis insuper lex praecipit, omnibus misericordiam exhibere, & patriam benevolentiam religionis socios suscipere. Eum qui venit ad me, inquit Christus, non eiciam foras. Magna res mihi videbatur, Maximus à Graecorum superstitione ereptus & sacro lauacro tinctus, & loco Herculis, Trinitatis cultum professus. Magna mihi res erat, homo virtutem capeffens. Etsi enim postrema satis ostenderunt, nihil etiam in primis sincerum fuisse: nobis tamen non licet ista explorare. non cogitationibus interuenimus, non futura, nisi DEO reuelationem gratificantem, scimus. Nam nos quidem faciem videmus: animum DEVS intraspicit. Pia oratio, cuius vim & ipse complectitur, postquam explorantes introduxisset:

τί ἔν; σὺ πῆτον ἔχθρας εἶχες ἐν φίλοις;
καὶ ἔβη μεγίστων ἠξίους ἐγκωμίον;

Tom. 2. in
Vir. p. 15. C
16.

Quid igitur? an non heri in amicis hunc habebas? annon summum eum dignabare laudibus? In responsione tum multa praclare, tum illud:

Πισοῦ γὰρ ἀνδρὸς ἀδὲν εὐπείθετον,
πρὸς εὐλάβειαν βλάβος ὀσμωμένου
ἢ ἔταν, ἢ δόκῃσαν. ὡ χρῆσθαι παύους.

Viro fideli nihil ad habendam fidem facilius est: qui ad pietatem & probitatem, quae vel est in aliis, vel esse videtur, statim adungi cupit. ὁ vitium probum! Et subinde:

Εἰ πῶτο δεινὸν, οἶδα πολλά πολλάκις
τοιαῦτ' ἀμαρτῶν. ἄρα συγγνώσεσθε μοι
Ἄνδρες δικασταὶ τῆς καλῆς ἀμαρτίας.
ἢ μὲν κάκις ὄ, ἀλλ' ἐτίμων ὡς καλὸν.

Si peccatum hoc est, multa memini talia me peccauisse. Sed ignoscetis, iudices, tam praclaro peccato meo. Erat quidem ille pessimus; sed tolebam eum pro bono.

Cæterum, cum ingrati animi vitium per omnem vitam late pateat, insignioris tamen notæ hoc crimen est, quando in patriam

triam, parentes, & qui loco parentum sunt, præceptores, patros, hospites committitur. Quo enim sanctioribus humanæ societatis vinculis, hæc nomina destinantur, eo lædius ea violari, in aperto est. Et de gratia quidem patriæ debitæ, aut iis, in quos se patria conuertit, Principibus, luculentis in multas fori actiones transferuntur loci: grauiusque fere, quæ hic peccantur, appellari solent. neque tam facile est (ut hoc vnicum annotemus) inuicem patriam & Principes, ingrati arguere. Quod probe intellexit *Valerius Maximus* in istis: *Ceterum ut senatus populique, mens in modum subita tempestatu concitata, leni querela prosequenda est: ita singulorum ingrata facta liberiore indignatione proficindenda sunt.* Factione senatus *Romulus*, tribunitiis furoribus reliqui, quos ibi refert, conciderunt. Miserandum inter hæc turbamenta publici decoris, Reipublicæ nomen, sui parum comptis. Multo minus ferendum est, si falsis rumoribus Principum fama aspergitur, quibus non debuit moueri *Baptista Fulgosius*, ut actionem ingrati aduersus *Justinianum Imperatorem* instrueret, quod *Belisarius* post ingentia merita, eritis oculis stipem mendicare coegerit. Quam rem alii ad exempla veterum fortunæ maluerunt referre. Sed quo auctore ista iactantur? *Joannem Tzetem* frustra nominabis, nam is non tacuit aliorum historicorum monumenta, negantium, id *Belisario* accidisse, sicut iam monuit *Nicolaus Alemannus*, in notis historicis ad *Procopium* p. 10. adde *dyndora*. Idem, qui *Joannis Cappadocis* Patricii Exconsulis casum eius generis suggerit, vnde nata haud dubie fabularum architectis occasio omnia permiscendi. Id quod *Petro Crinito*, & *Raphaëli Volaterrano* per est familiare. Sed libros tot iam censuris confossos, totq; mendaciorum conuictos, mirum sit, si quis hodie securo animo velit sequi. Verum, post *Giphanium*, & alios, nolumus actum agere.

Demenda est potius iniuria venerando nomini *Friderici II. Imperatoris* aspersa apud *Fulgosium*: vbi reus ingrati erga *Honorium* ceterosque Pontifices & Ecclesiam Romanam animi agitur optimus Princeps. Intolerabilis est insolentia, muneris Pontificii facere Imperium: quod *Friderico* Principum auctoritas sine detulerat; ita usq; solennem carimoniam Romanæ coronationis

tionis Pontifex sine flagitio denegare non posset. Neque vlla in Ecclesiam & Ecclesiasticos iniuria à Friderico orta est: Sed Pontifices, benignitatem Imperatoris singularem erga Ecclesiam, ingratisimo ferentes animo, modo Episcopos in eum extrimularunt, modo turbas & rebelliones vndique concitarunt, ut redigerent in ordinem, quem reuereri, & obsequio demereri diuina humanaque lege tenebantur. Scilicet huius Imperatoris potentia, vires, prudentia, magnitudo animi, rerum bellicarum peritia, formidolosa fuere Romano sacerdotum senatui. ut rectè iudicat Auentinus; additque: *Visum est flaminibus Romanensibus Imperium Germanum magis florere, quam ipsis vile foret. placuit id contundere, atq; discordia non solum debilitare, sed in cineres quoq; atq; fauillas redigere, & Fridericum huncce à fastigio rerum humanarum deturbare.* Hæc Innocentio, hæc Honorio & Gregorio mens. Egit bonam causam non segniter. *Petrus de Vineis.*

De ingratis erga Parentes liberis diuina humanaque litera amplissime decernunt: nobilisque extat legislatio Imperato *Novell. 115. c. 30* *ri Justiniani;* quam interpretationes ex omni æquitate vndique repetita suppleunt. Huius loci est etiam officium τὸ ἀντιπελαγογείν siue τῆς ἀντιπελαγογίας seu mutuam alimentorum & sustentationis vicem exhibendi parentibus; diuina lege præceptum: quo, iuxta interpretes Hebræos filius tenebatur, ut cibum & potum parenti subministraret, rei & vestitus; ex eo scilicet, quod Patrius est, seu ex bonis paternis: quibus si careret, cogendus erat filius, si ipsi bona essent, ut vtrumq; aleret parentem, in quantum posset. cui tamen sanctissimo, & quod iuri diuino respondet, officio derogatū voluit glossa Pharisaica, in quam inuehitur Christus *Matt. 15, 5. Marc. 7, 11.* Ad quem locum explicandum pertinebant, quæ annotarunt præclarissimi Viri, *Dilberus disput. tom. 2. disp. 3. q. 5. & Seldenus de I. N. & G. iuxta disciplinam Hebræorum VII, 2.* Solonis lege, qui non alerent parentes, infamia notabantur. Apud *M. Senecam* annotatur lex: *Liberi parentes alant, aut vinciantur.* *Demetrius Triclinius ad Sophoclis Electram: πάντων γὰρ τῶν νομιμῶν καὶ δικαίων τῶν ἐν κρείττων καὶ μέγιστον καὶ πάντων ἀνακρινύσεται, φρονίδια ποιῆσθαι πατρός. ὁ Θεὸς ἀποδέχεται καὶ εὐσεβῆς λογίζεσθαι.* *Inter omnia iure & legibus constituta, unum ab omnibus*

annibz optimum & maximum celebratur, patriâ curam gerere.
 DEVS hoc suscipit, & pium iudicat.

Trat. 3.

Præceptoribus non multum infra parentes deberi, nemo fuit bonus vnquam, aut non barbarus, qui negaret. Magnificâ prorsus, & inprimis moratâ commendatione Iulianus effert beneficium Eusebiæ Imperatricis, à qua libros Philosophorum, Historicorum, Oratorum, Poëtarum acceperat, id est, verum ad prudentiam & virtutem comparandam præsidium: omnisque humanitatis expertem censet, qui non cupiat gratiam referre tanti muneris auctori. Quanto autem plus debetur gratiæ ei, qui non libros, sed librorum intellectum vsuque præmonstrat, id est, fido præceptori? Sed hoc vinculo facile se ingrati expediunt scilicet. Quid enim? adolescens debui, inquit, quod debere desii, postquam eo loco constitutus sum, ut præceptorem meum queam despiciere. Tum: Opera pretium ei numeravi, quid potest à me desiderare amplius? Puto non defuturos, qui per magnitudinem animi nihil desiderent amplius: præclare imo secum agi putent, si non experiantur hostes, quos educarunt discipulos. Sed quâ auctoritate possit fieri, ut lex æterna habeatur pro temporaria, & breui circumscribatur tempore pietas, cuius caussa perpetua est, parum in expedito est. Respondeat his hominibus Seneca, felix cetera, nisi discipulum habuisset Neronem. Isto modo, inquit, ne medico quidquam debere te, nisi mercedulam dices: nec præceptori, quia aliquid numeraveris, atqui omnium horum apud nos magna caritas, magna reuerentia est. -- Quid ergo? quare & medico & præceptori plus quiddam debeo, nec aduersus illos mercede defungor? Quia ex medico & præceptore in amicum transeunt, & nos non arte, quam vendunt, obligant, sed benigna & familiari voluntate. Ostendit deinde sollicitudinem & vnicum affectum medici, ægro suo timentis: ad exemplum Philippi apud Curtium: longe dissimilis scilicet, alterius, quo Pyrrhus utebatur, venefici Timocharis; aut impostorum, quos iterum describit Seneca: Multi quos auxerant morbos, & incitauerant, ut maiore gloria sanarent, non potuerunt discutere, aut cum magna miserorum vexatione vicerunt. Progressus à medico, ad præceptorem, hic quoque distinguit vulgarem præceptoris operam & singula,

6. de benef.
15.

Nb. 3. e. 6.
 Sid. Val.
 Max. 9. 52.
 Gel. 3. 8.
 6. benef. 36.

singularē ac familiarem. Ne præceptorem quidem, inquit, habeo, cur venerer, si me in grege discipulorum habuit; si non putauit dignum propria & peculiari cura, si nunquam in me direxit animum: & cum in medium effunderet, quæ sciebat, non didici, sed excepi. Hæc si exigantur ad normam sanctioris philosophiæ, non sistent censuram cordati iudicis; nisi comparandi meriti causa, non dissoluendi, dicta acceperis. Sequitur enim de peculiari opera: Alter (præceptor) rursus in docendo, & laborem & tedium tulit, præter illa quæ à præcipientibus in commune dicuntur, aliqua instillauit ac tradidit, hortando bonam indolem erexit, & modo laudibus fecit animum, modo admonitionibus discussit desidiam. Tum ingenium latens, & pigrum, iniecta (ut ita dicam) manu, extraxit: nec quæ sciebat, maligne dispensauit, quo diutius esset necessarius, sed cupiit, si posset, vniuersa transfundere. Ingratus sum, nisi illum inter gratissimas necessitudines diligo. Adicit plura in hanc sententiam: quæ surdis plerumque auribus occiduntur.

Patronorum officia, etiam in foro, gratum repositum animum, non tantum, ubi gratuita sunt, sicut apud Romanos quodam tempore; sed etiam, ubi emolumentis aestimantur: si patronus, non suo quæstui inhiauit, sed meis com modis prospexit; ad inimicorum insidias occurrit, excubauit, timuit; nihil diligentia, & amoris pro causa reliquum fecit, id est, si amicum se præstitit. Quare ingrati merito apud omnem posteritatem reus est Popilius Ciceronis interfector. Controuersiam ita proponit M. Seneca: Popilium parricidii reum Cicero defendit: absolutus est. proscriptum Ciceronem ab Antonio missus occidit Popilius, & caput eius ad Antonium retulit, accusatur de moribus, tanquam ingratus scilicet, id quod amplius interpretatur Valerius Maximus, facundâ commemoratione sceleris, quam ita claudit: Inualide ad hoc monstrum sugillandum literæ: quoniam qui talem Ciceronis casum satis digne deplorare possit, alius Cicero non extat. Capitonis apud Senecam ista est oratio: Deduxi ad vos rerum omnium, quos terra sustinet, nocentissimum, ingratum, impium, percussorem, bis parricidam: nec tamentimeo, patroni viderint, nemo à Popilio quidem, nisi post beneficium occiditur. Quod defenderit Cicero hunc Popilium, ex historia desumptum est: quod in causa parricidii

3. benef. 16.

Tac. II. 4. 6

lib. 3. c. 17.

5. 3. 4.

Conf. Val.
Max. &
M. Seneci.

defenderit, ab ingenio declamatorum est, qui nocentiorum volerunt reum facere, & occasionem sententiis ac figuris quare-re. Etiam si autem in priuato iudicio defensus sit, ingrati animi crimen ac inuidia non simplex in reum incumbit. *Naturale est enim, ut quod in nullo patrono oportuit, indignius sit factum in Cicero-nem patronum, quæ Latronis est sententia.* De manumissorum & libertorum grato ingratorum in patronos animo, eiusque pœ-na, iure ciuili Romano Græcoque abunde decretum est. Patro-cinii nobilioris genus, quod Romæ instituit Romulus, partim lege publica, partim pactioe priuata, partim moribus & institutis continebatur: denique mercenaria res tota facta est, & ex for-mula conuentionis iudicanda. Sicut autem sancta in primis Pa-troni & clientis antiquitas nomina sunt: ita haud dubie inui-sum fuit & animaduertendum crimen, *clients ingratus.* Atque si

Sen. ad G.
Aen.

4. de benef.
33.

ll. xxi, Tab. proditum fuit, *Patronus, si clienti fraudem fecerit, sa-cer esto:* non immerito credas, clientis quoq; in patronum frau-dem, seuera lege vindicatam esse. Quamquam clientium in-firmitas, ab iniuria potentiorum, per illam legem vindicata, non æque ad nocendum efficax existimari potest. Sed in hoc gene-re necessitudinis, cum beneficium & obseruantia utramque pa-ginam faciant, de quibus in vicem pugnabant veteres, proditæ non reperiuntur in iudicio querelæ. Ingrati scilicet querela ad beneficii auctore spectat, ac eius nomine instituitur: aggrauatur-que, si is pater, aut præceptor, aut patronus, aut hospes fuerit.

Nam & hospitii sanctimoniam, non virtus modo & huma-nitas, ut hodie, sed iura etiam & leges definiebant. Omni au-tem lege fortius sacrauit iura hospitii Philippi Macedonia Regis seueritas: *qui improbissimo militi, ingratisimo hospiti, audissimo naufrago, stigmata inscripsit, ingratum hospitem testantia.* quasi di-ceret, interprete Seneca, *Æquum est, intra fines regni mei, te lite-ras istas oculis inscribendas, durissima fronte circumferre; ostende, quam sacra res sit mensa hospitii: præbe in facie tua legendum istud decretum.* -- *Magis ista constitutio sic erit rata, quam si illam in as incidissem.*

Et si quidem lex aduersus ingratos, in aliqua ciuitate, feren-da sit, nemo suaserit, dubia aut incerta comprehendi. Nemo postulabi-

postulabitur ingrati, qui nondum reddidit beneficium; qui minore mensura reddidit; qui non reddidit ei, de quo dubitari potest, an dederit beneficium. In confesso sint merita oportet; in confesso crimen ingrati animi. Quod cum multiplex sit, duabus tamen præcipue rebus cernitur: vel cum dissimulatur & negatur beneficium; vel cum bene meritis dictis factisque læditur. Illud prius genus ingratorum, crebrum & frequens; hoc posterius, tanquam ferinæ cuiusdam & inhumanæ prauitatis, rarius existimauit *Julianus*. cuius sententiam exempla nouissimi *orat. 3. p.* temporis non affirmant, legislatorem autem potius monent, ut in crescentibus vitiis modum statuatur. Præcipua scilicet legis condendæ industria in eo versabitur, ut ii coercantur, qui homines de se sine controuersia bene meritos, calumniis, maledictis, iniuriis, molitionibus inimicis ac hostilibus violant. De quibus *Carolus Paschalius in censura animi ingrati (cap. 29.)* in hunc modum differit: *Insigniter ingratus is est, quem non modo tibi beneficio non adiunxisti, nec solum pro beneficio gratiam non reddidit, sed maledicta, eaq; insuper malefactu curtiulas.* Cui plus debet, hunc magis odit, ex obligato ac debitore fit inimicus, nunquam non periniquus, irarum, minarum, ultionis plenus. Hoc deterrimum genus hominum, e quibus nihil nisi messem mali metere licet, quidam assimilant arietis, qui altorem suum sæpe cornibus incurSAT. Ego potius ealem dixerim esse lupum illum, de quo exerat Græcum epigramma, τὸν λυκὸν ἐξ ἰδιῶν μαζῶν τρέφω: -- -- Hoc genus ingratorum notat Sapiens hæc verbis: *Qui, inquit, reddit mala pro bonis, non recedet malam de domo eius.* In dissimulatores & inficiatores beneficiorum, relinquuntur, puto, suis moribus, qui de beneficio accepto, non satis euidenter possunt conuinci. Sed qui indubitabilibus sunt beneficiis affecti, ope adiuti, liberalitate subleuati, doctrina eruditi, cura educati; hi, si inhumanam impudentiam velint inficiari merita, & quod plerumque sequitur, maleficii sui turpitudinem minueret; illi malo domandi fuerint.

In utroque hoc genere eminent flagitii atrocitate, quibus beneficia eo usq; læta sunt, dum videntur exsolui posse; vbi multum *Tac. 4. A. 48* anteuenerit, pro gratia odium redditur. Ex odio iniuria; ex iniuria nouum odium. *Proprium enim humani ingenii est, odisse quem læserit.*

Tac. Agr. *42.* *Sen. 2. de ir. 33.* *Paranes. aduers. ingratos, cō. 2. oper.* *laferis. Hoc habent pessimum animi magna fortuna insolentes; quos laferunt, & oderunt.* Et descripsit quidem ingratorum ingenia moresque, turpitudinisque tantæ notas & insignia in literas misit, eademque opera quasi suaforiam legis aduersus ingratos concinnauit doctissimus vir *Lilius Greg. Gyraldus*; omisit autem, siue reperi non credidit, pessimum genus ingratorum, qui cum inuenerint beneficiari non possint manifesta hominum de ipsis præclare meritum beneficia, quorum tamen hostili interim odio flagrant, inuertere totam causam, & à sensu horribilis fallaciæ auertere mentes aliorum conantur, ementiendo sine nomine & ex longinquo beneficia, velut in eos collata, erga quorum verissima beneficia se ingratos præbent, cum tamen nec voluerint, nec potuerint id facere quod iactant, manifesta que rerum fide & inuidetis argumentis mendacii ac vanitatis argui possint. Interea apud homines rei totius ignaros, famam ingrati animi, cuius sibi conscius sunt, obliterare, atque vltro querelam illam ferere student, quam aduersus ouem in fabulis lupus orditur. Ceterum inaudita malitiæ fraudem, operæ pretium est victuris chartis detestari peculiari cura, qua Charites ornabuntur.

Quin autem manifesta eiusmodi & nefaria ingrati animi crimina, lege describi atque coerceri queant, quid relinqui dubitationis potest? non minus enim, in aliis hominum personis fieri potest, quod in liberis *Iustinianus Imperator*, quem ante laudauimus, in exemplum prudenter grauiusque perfecit. Pœna ut statuatur more Persarum in ingratos, multas ob causas, nemo suaferit. neque antiqui, vsque quaque probarunt. *Ammiani Marcellini* notus est locus: *Leges apud Persas impendio formidatæ. inter quas diritate exsuperant, late contra ingratos, & desertores.* Ignominiam statuere notabilem, loco pœnæ, consultius est: ad quam delendam expiationibus quibusdam locus non præcludendus esset.

At, inquis, quin ferre aduersus ingratos leges possint, penes quos condendi iuris potestas est, nemo abnuat. An autem consultum sit hoc facere, non æque in expedito est. Nos illam disputationem nunc ingredi non constituimus, nisi quod ex allatis haud pauca huc faciunt. Sunt exempla grauissimarum nationum:

nam: est ratio summa in rei utilitate, ad finem publicæ felicitatis consequendum necessaria; cum non minus ingrati animi vitium omnes morum labe continere aut trahere credatur, quam gratus animus omnium virtutum prouentu ac necessitudine celebratur: est increfcentis hoc aut illo ævo hominum prauitas, & ingratorum multitudo; qui in aliis discunt & experiuntur, quod paulo post aduersus patriam exercent: Sunt alia momenta, quæ tempus, locus, & componendæ disciplinæ publicæ ratio suppeditare solet.

Seneca rationibus plerisque iam responsum est, nec multum proficit sollicita illa beneficii & debiti distinctio. Quasi minus debeantur, quæ ex lege naturæ, & summa iustitiæ ratione, etiam extra civilem formulam, debentur; quàm ea, quæ ciuilibus decretis sanciantur. Ut taceam, illam sententiam ad eos tantum ingratos pertinere, à quibus reposcitur beneficium; siue qui reddendi beneficii causa appellantur: cum potior de iis quaestio sit, qui pro bona gratia malam reddiderunt; beneficiumque maleficio rependerunt. Sed nec illa Stoicorum iactantia apud legislatoris aures tempestive promulgatur, quàm altiora subinde consilia, neque ex virtutum regulis, sed instituto quodam gloriae extra ordinem petendæ, æstimanda in ore habent. Sicut autem, iniurias etiam maximas, ex proposito quodam sublimiore, tolerare, nemo vetatur: ita ut hoc faciat quisquam, nullus legislator, nullus iudex, quorum munus sanctissimum in prohibenda & punienda iniuria præcipue versatur, præcipere solent.

Denique Seneca de pœna ingrati disputans, *Quid ergo? inquit, impunitus erit ingratus?* Mox decernit ei pœnam, odium publicum, supplicium grauissimum; iram Deorum, tormenta conscientie, tristem & morosam vitam: cum ex diuerso gratus homo æquali perpetuaque voluptate fruatur. Comparari autem potest (ita pergit) virinus, vita, cum alter tristis sit & sollicitus, qualis esse insitator ac fraudulentus solet; apud quem non parentum qui debet, honor est, non educatoris, non præceptorum: alter letus, hilaris, occasionem referendæ gratiæ expectans, & ex hoc ipso affectu gaudium grande præcipiens; nec querens quomodo decoquat, sed quemadmodum plenius vberius, respondeat, non solum parentibus & amicis, sed humiliori-

humilioribus quoque personis. Etiam antea de crimine ingrati dixerat: *neg. absolvimus illud, sed -- tantum odio damnauimus, & in ex carolumimus, quæ ad indices Deos mittimus.* Imitatur Grotius hanc sententiam, cum *ratum peccata DEO vult punienda relinquere, qui & ad ea noscenda est sapientissimus, & ad expendenda æquissimus, & ad vindicanda potentissimus.* Loquitur Grotius de peccatis, quæ nec directe nec indirecte spectant ad societatem humanam, aut ad hominem alterum. Tale autem peccatum esse ingrati animi vitium, in manifestis illis & enormibus speciminibus, quæ antea designauimus, concedi nec potest nec debet: quod & Feldeno obseruatum. Itaque crimina ingrati animi, quatenus incertam æstimationem habent, lege non coercentur: quando autem clara sunt & indubia, in libertis, in liberis, etiam ius Romanum puniit. cum id, ut fiat, reipublica intersit, & ad salutem ciuitatis pertineat. Quare & *Graswinckelius*, Grotii mentem ita explicat, ut omissionem gratiæ, non offensionem aut lesionem intelligamus. additque: *Gratitudo aduersus parentes ac patronos etiam cogi potest: non enim in arbitrio liberorum & libertorum est, gratum esse, sicut aliorum quorumlibet.* Quæ postrema verba, comparationem habere possunt, sententiam absolutam tueri non possunt. neque enim, accuratè loquendo, dixeris: cuiusquam arbitrio relinqui, gratus velis esse, an ingratus. Sitaque Grotius dixeris in suscipiendo bello non temere suadendam esse, ut aduersus ingratos suscipiatur, si nulla alia causa accesserit, reprehendi non debet voluntas, restringere bellandi licentiam conantis. Sicut nemo facile iudicauerit: hic populus aduersus libertatis sue auctores & defensores cornua erigit, insolentemque se & ingratum præbet; ergo armis petendus & ad officium redigendus est. Verum, si iniuria alia manifesta, quæ bello iustam causam dant, accesserint, ingrati animi vitium in suasoriis rationibus ad bellum impellere potest tam indigne laesos.

Qui interim legis iudicisque beneficio tueri se ab ingratis nequeunt, & ad Dei tribunal, ut ante dictum est, remittuntur illi & ipsi, non tam vindictæ studio, quam fiduciæ auxilii, pietatis memores, ac inter hostiles ingratorum insultus, caritatis non oblitæ, ita suam causam capiunt agere, ut emendari ingratos non euertere.

everti desiderent. Sciunt quæ ingratos pœnæ apud Prophetam *ps. 47. &*
 inevitabili oraculo denuntiantem maneant: sed mallet illas *ss. & 109.*
 deprecari, quàm imprecari. Igitur intra hos limites oratio eo-
 rum decurrit: Vides, Optime Maxime Deus, qui ingratos odio
 & pœna damnasti, gratos premiis promissisque incitasti, nos ho-
 stilibus insidiis peti ab iis, quos aluimus, quos educauimus, neq;
 furoris aduersum nos summi quicquam reliquum fieri; vides
 nostra beneficia immanibus maleficiis rependi. Non ignoras,
 qui omnia scis, quotiens & quantum ignouerimus: candidaque
 & simplici mente, erroribus humanis, quæ, ut res docuit, inhu-
 mana prauitatis erant, tribuerimus. Sed in læsam totiens pati-
 entiam, furor insurrexit semper acrior: neque aliud quàm in-
 teritum eorum sperauit, qui tuâ hæcenus sustentante dextrâ ste-
 terunt. Conserva nobis tua munera, DEUS Optime: resiste
 occultis insidiis, retunde apertas molitiones, dissipa conatus, ob-
 iurga bella nullos habitura triumphos. Fac ut ad se, & te rede-
 ant, qui hominem exuerunt, & tua præcepta conculcarunt. Nos
 ad veniam dandam semper erimus parati. en gregem nostrum,
 qui se tibi in clientelam & fidem tradidit! huncine tu, Patro-
 norum Maxime, calumniis inquinari, odiis oppugnari, iniuriis
 affligi, vivus vidensque (vivens in perpetuum, videns omnia)
 patieris? *Fac mecum signum in bonum; ut videant, qui oderunt me, Psal. 36, 17.*
& confundantur: quoniam tu, Domine, adiuvisti me & consolatus es
me. Huius modi preces non magis possunt vanæ esse, quàm cer-
 tum fixumque est; DEUM esse, fuisse, futurum esse gra-
 torum patronum, ingratorum vindicem, qui
 suo digito scripsit legem: *Ingrati*
sit actio.

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.



Quam deformem nefas, quam detestabile crimē
Audiant, ingratae mentis habere notam,
Quaeque sit apta mali medicina repellere labē
Hoc tua, sub magno Praeside, cura docet.
Lege opus est cauta, fiat reus, impius ille,
Quisquis in auctorem, qui benefecit, erit.
Sed qua conveniat simul arte expendere, discas,
Callida, quas regerit caufidicina, strophas.
Scrutaris Veteris Sophiae monumenta, volutas
Emathios Latio cum Cicerone, senes.
Scilicet, ut possis aliquando peritius istis
Papinianaeas promere doctus opes
Hic labor: hinc tandem (credas) te magna manebit
Gratia, condignus sedulitatis honos.

*Testandi officii causā
adjunxit*

Sympatriota

Johannes Andreas Rengerus.

F I N I S.

Etiam dicitur in scripturis
Adhuc inquit non est habitus
Quod dicitur in ista sententia
Hoc est inquit habitus
Iste ergo est habitus
Quod in auctoritate dicitur
Sed hoc convenienter
Callidus quare in causis
Sunt in veneratione
Finitio facta est
Sed hoc et posse aliquid
Tamen hoc proprie dicitur
The labor inquit (cetera) magna mandata
Gratia condignis sedulitas honore

Respectu officii
ad hunc

etiam

Johannes Andreas Reinken

1712



00 46453


ULB Halle 3
002 937 530




A
50

1007







17.

I. N. J. CH.
De actione legibus proditâ, aut
non proditâ,
aduersus

INGRATOS DISQUISITIO.

De qua
In Inclÿta Argentoratensi Academia
P R A E S I D E
JO. HENRICO BOECLERO,
Historiarum Professore ordinario,
Coll. Philosph. h.t. Decano,

In solenni auditorio
respondebit
d. Iunii
JOHANNES CHRISTOPHORUS WALTHERUS
Rotenburgensis,

ARGENTORATI,
Typis FRIDERICI SPOOR.
ANNO M. DC. LX.

